

Mundani toti, delitiosi, pomposi, garruli, iactabundi: detrectatores & inani. Quælibet reliquarum artium certe à suis præceptoribus discitur. Vna autem Medicina & Theologia diuinitus datur. Etenim cuius est Medicina creare, eiusdem est dare & benedicere. Nemo igitur nisi Deum diligens charitatemque in proximum habens verè medicus esse vlllo modo poterit. Sed illud est pro confesso habendum, quod crassa ignorantia nostra ferè nihil nouit eorum, quæ Deus magnalium conclusit in creaturis suis. Nulla res tam vilis tam foetida tam venenosa est, quin separatione elementorum vel (vt vno verbo dicam) nostra spagyrica, simplici artificio summarum virium Medicina fiat. Certè non caret graui mendacio, quod à plerisque dicitur, Podagram, paralyfim, hydropem, quartanam & similes morbos incurabiles esse. Quomodo sint isti incurabiles morbi? An quia Deus morbos ob peccatum immisit humano generi eorum remedia creare nesciuit? Aut non potuit aut non voluit. Nesciuisse, aut non potuisse nemo dixerit. Non voluisse pauci à Deo dixerint. Quomodo enim cum morti æternæ remedium dare voluerit, tem-

*Ars spagyrica quid præstet.*